xlvii

nostri Johannes dissipatus ad constitucionem a nobis sollicitati generalis et ycumenici concilii pro unione premeditata ecclesiarum Christi et dedimus eis ambasiatoribus perfectam et plenam potestatem et baiuliam super et impedimentis mandat diffinit imperii nostri per presens crisobulum simul quod omnia et singula illa que ordinaverint promiserint iuraverint fecerint et constituerint per septimam sine scripturas super predictis potestatem nostri ambasiatores reputentur a nostro imperio et affirmata sint tamquam si a persona nostra plenariter facta ordinata promissa et iurata forent et si contingeret impedimentum aliquod vel mors in aliquo dictorum ambasiatorum tunc quod factum est et promissum erit per duos ex eis firmum et validum sit tamquam si per omnes tres factum foret et in robur et firmitatem predictorum iurat imperium nostrum per iuramentum debitum et condecens nobis tamquam christiano fideli imperatori et per oracionem et benedictionem sanctissimi mei imperatoris domini et patris nostri felicis memorie et per animam meam factumque est presens crisobulum imperii nostri anno a creacione mundi sexmillesimo nongentesimo quadragesimo secundo et domini nostri Ihesu Christi nativitate millesimo quadringentesimo tricesimo tercio die xi novembris Constantinopoli in pallacio nostro imperiali et subscriptum litteris rubeis manu nostra propria more imperiali cum pendenti aurea bulla concordat

Littera patriarche Constantinopolitani sub bulla plumbea

Joseph gracia dei archiepiscopus Constantinopolitanus nove Rome universalis patriarcha reverendissimis cardinalibus Romane ecclesie et reverendis episcopis et omnibus aliis devotis congregatis in synodo Basiliensi condignam et condecentem inclito vobis omnibus ea qua teneor caritate et amicicia spirituali salutem. Litteras R. V. recepimus per reverendum Anthonium episcopum Sudensem et fratrem Albertum de Crispis sacre theologie magistrum oratores vestros ex quibus et etiam relacionibus predictorum bene notavimus optimam disposicionem atque intencionem deo amabilem quam R. V. pro tota christianitate gerit et specialiter pro nobis ad eius pro unitate ecclesie sancte Christi et super hoc letati sumus maxime quoniam hortamini nos pro illis pro quibus et nos iam diu hortati sumus instantes ecclesiam Romanam multociens cum sepissime et misimus illuc pro unitate predicta ut omnibus patet. Tantis legacionibus ex parte nostra factis et tanta sollicitudine ostensa non pervenerit tamen circumstancie rerum ut finem acciperet nostra voluntas et tractatus. Ad presens igitur desideriis huiusdem et consilii et eadem disposicione R. V. scribimus querentes fieri concilium ycumenicum sub presencia omnium personarum necessario debencium adesse secundum antiquum ordinem et consuetudinem et tale concilium fieri canonicum liberum inviolatum et simpliciter secundum formam antiquorum ycumenicorum conciliorum et illud omne quod deo dante in tali concilio unanimiter et concorditer conclusum fuit hoc firmum habere indubitanter et sine contradictione et lite quacumque. Que omnia dicta fuerit concessa et confirmata a sancta Romana ecclesia per plures legaciones ad eam nostri parte factas. Impedita vero fuit istorum conclusio et effectus propter speciales circumstancias ut supra dictum est. Sed quoniam R. V. in presentiarum tantam promptitudinem super istis ostendit quod legacionem specialem fecit pro istis et hortata nos fuit litteris et relacionibus suorum oratorum propter hoc et nos iterum mittimus ambasiatores nostros familiarem imperii prothovestiarium Demetrium Paleologum Methonidez et honorandissimum in sacris monachis

post A. D. 1433. — Konzil von Basel.

Paris, Bibliothèque Nationale, Ms. lat. 12101, fol. 47.

License: public_domain – Various Locations, Generic Collection, , Tafel 112 – Franz Steffens, Lateinische Paläographie (https://fragmentarium.ms/view/page/F-12v1/7415/60120)